Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

religionis ancillam. quod imperatorum precepta prohibebant. Statim ad tribunal Tertullus adducitur. et pro moribus uocatis. assistente uulgi corona recitari legem iussit. ex codice. cuius hec forma est.

Maximianus Adrianus et Antoninus pii felices augusti. omnibus nostro iure uiuentibus salutem. Peruenit ad nos uarietas religionis a quibusdam nuper inuenta. non nullis enim esse prohibentur. quibus nec sacrificia cordi sunt. nec cultus ille quem colimus. propter quos sine dubio non cito pene formido succurrat. Oblitteranda est omnis iniquitatis credulitas et ueneratio extinguenda maiorum. Damus itaque omnibus populis hanc legem. et singulis iudicibus seruanda. Hec dicta proponimus ut compellantur ad sacrificium singuli. et rebelles gladio ultore feriantur. Maluimus enim paucos interfici. quam omnes errare. nec uagari ut pecora. sed potius unius esse sententie. Si quis igitur huius legis aut cultus occultandum aliquem putauerit. cuiuslibet etatis aut sexus. ferro ipse exalet spiritum legibus repugnantem. facultates uero eius fisci commodis inferantur. Delator autem tanti criminis ex erario publico quadringentorum denariorum collatione gratuletur. ut omnes agnoscant nec culpam pure non premiari. Lecta ergo hac constitutione ad circumstantes preses dixit. Quid sum ad ista facturus? Numquid repugnare possum his preceptis? Responderunt principes curie dicentes. Humanius nos audire dignare. Tunc preses scribi que iubentur iubet. Surrexit scolasticus Nicagoras ut erat fandi peritus artifex ad loquendum. omnium persona accepta. publico ore sic loquitur. Lucifer summe lumen totius ciuitatis et populi ut benignus nos audias deprecamur. Hic uir multis publicis functionibus et natalium splendore decoratus. magnum curie nostre prestat auxilium. Fuit augustorum pontifex. pretera numerari ciuitatis. Cum deinde legationibus plurimis pro publica utilitate susceptis. tantum sibi glorie quantum amoris asciuit. magnus preterea legationibus eius aucta res publica est. infinitum pecunie sue modum indiuisis fabricis et balnearum calefactione disposuit. Sunt et alia plurima que numerare longum est. nam primum etatis tempus inquid publica utatis teneri anni iuuenili calore flammantur. religioni diuine obtemperans uicit etatem. et moderationis freno. nature ipsius iura superauit. At cum euo grauior maturioris esse cepit consilii satis fecisse se diuinis preceptis. aliquid et quod ipso placet inuenit. Munia itaque anni aspicantis exsoluit. et magnus ex spectaculis propriis uiribus comparatis. commune toti populi faciauit aspectum. Plurima agonum insignia

in Cesariana ciuitate compleuit. emulas etiam plus uoluptates gladiatorum inter se dimicantium ciuibus non negauit. Necessitates propterea eius uirtutem familiarem lucra uenientia patrie semper credidit preponenda. Placuit itaque diis sacerdotio muneribus ciuitati. et quod est maximum etatem uinci iuuenes sacerdos edocuit et ostendit. non repudianda in annis grauioribus uoluptatem. Preses scolastico ait. Quid preterite actionis ornamenta commemoras. crimen quod intendis non repellis. Respondit aduocatus. Puella hec cuius scelere dominus purgetur ut dotalia instrumenta demonstrant ab uxore donata est. Preses dixit. Tertulli uxor ingenua est. Respondit aduocatus. Ingenua quidem et nobilitatis eximie. orta namque patre Cleodune. Preses dixit. Comparata est hec ancilla. an in uernacula educatione suscepta. Tertullus dixit. Nata quidem domui uidetur. sed parentes eius ad nos ex comparatione uenerunt. Preses Tertullo ait. Socer tuus incolumis est. an iam ab hac luce migrauit? Respondit Tertullus. Iam fati munus impleuit. Preses dixit. Isti contumacis ancille parentes super sunt? Respondit Tertullus. Defuncti sunt. Preses ait. Huius perdite religionis erant. aut diis uota soluebant? Respondit Tertullus. Eidem uesanie erant. nam crucifixum colebant. Aduocatus ait. Que non huic puelle illata tormenta sunt. ut ab hac superstitione discederet. Et nec mulceri umquam potuit aut flecti. Nam quanto maiora fuerint supplicia. tanto pertinatior mens perdurat. Ad hec preses diutina deliberatione habita. tandem tractatam protulit diu cogitatamque sententiam dicens. Tertullus publico ore laudatus. cui honor uel pro meritis uel pro natalibus rependendus est editor optimus. senator insignis. imperii partium deuotus et numinum. qui et legibus satisfecit et cultibus. cuius ymagines per omnem orbem sepius in ipse conspexi. liber abscedat. nullum calumpniatorem metuat. nullum iudicem pertimescat. Dum hec omnia sacris auribus intimentur. scelestissimam uero hanc puellam offerri mox in publico iubeo simul ut habeat et culpa supplicium et populis exemplum. Traditur itaque mox carnificibus deuota mens Christo. et quantum sexu femineo et puellari fragilitati decipitur. tanto plus uirtute et caritatis adtollitur. Stetit itaque adducta tandem. et quamuis contra iudicem oculos tenderet. animum tamen habebat ad Christum. Clamor undique frementis populi adtollitur dicentis. Uiua diuo crematur incendio. Illa uero intrepida. quippe que deum suum nosset auxilium. celum intuens sic clamauit. Domine Ihesu Christe fili dei uiui. certa salus hominum. solo de solo genitus. cuius digne nemo potest naturam comprehendere. aut referre uirtutem. non angeli non archangeli non sedes